

tum poenitentiae non incurrere irregularitatem; consequens est falsum; ergo. Sequela patet, quia illud sacramentum est nullum ex defectu jurisdictionis; ergo per illum actum non incurritur irregularitas, quae est poena sacerdotis excommunicati ministrantis sacramenta. Propter hanc et similes exceptiones dixi in assertionem accipiendam esse regulariter, non infalibiliter. Illum ergo casum de sacerdote excommunicato absolute tractavi in tomo 5, disp. 11, sect. 3, n. 13, et probabilius judicavi, non obstante nullitate absolutionis, incurrere irregularitatem in eo casu; et idem nunc etiam videtur, quia considerata intentione canonum, sub illa prohibent excommunicato omnem usum potestatis ordinis, etiamsi fiat cum illo defectu quem necessario habere debet, prout

fit ab excommunicato. Itaque lex quae fert talem poenam jam supponit defectum in tali actu factum ab excommunicato, et illum intendit punire; et ideo etiamsi nullus sit, dummodo illam nullitatem habeat ex vi excommunicationis, punit illum. Et hoc est maxime in legibus attendendum, reduciturque ad regulam in secunda assertionem positam, quia si lex explicite vel virtute supponit nullitatem in actu, vel defectum unde illa solet oriri, licet non semper oriatur, censetur punire etiam actum illum qui nulliter fit ex vi censurae, vel alterius similis defectus; quando autem nullitas provenit ex alio capite, cessat praedicta ratio, et procedit generalis regula quod lex loquens de actu intelligitur de actu valido, quia solum ille simpliciter talis existimatur.

FINIS LIBRI QUINTI,

NEC NON ET TOMI QUINTI.



